8.51.C.20

AD PRINCIPES CHRISTIANOS,

DE PASCHATIS CHRONOLOGIA Quæſtiones XVII.

PAVLI CLARANTIS
Interamnatis Nahartis.



PERVSIAE, Cum licentia DD. Superiorum;

Apud Petrumiacobum Petrutium.
M D LXXVIII.

PRINCIPIBVS CHRISTIANIS SALVTEM, PACEMQVE PERPETVAM.

PAVLVS CLARANTES Interamnas Nahars.

SI quidem ſapientibus pauca iuxta prouerbiũ afferenda; quid verò, ſi ijdem occupati? Vobis igitur Principibus; qui & ſapientiſsimi, & occupatiſsimi eſtis; quàm pauciſsima de Paſchatis Chronologia; quæ nunc res apud ipſos publicè agitatur; quærentis more ſcribenda putaui. Ea ipſa; ſi ſapientia iſta veſtra probarit (probaturam autem non deſpero) vos tantos ſupplex (ſicut decet) oro: vt veſtro veſtri deuotiſsimũ Clarantem iudicio apud Pontificem Max. ad quem huiuſmodi cognitio maximè ſpectat; gratioſum reddatis; nec tam ſua, quam communi cauſa: agitur enim hac in re integer, intactusq; religionis cultus: de quo Pontifex ipſe non minimè laborat. Illud planè vobis auſim affirmare: ſi hæc mea perlegere non grauamini; fore; vt quæ ipſe longiſsimo tempore vix aſſecutus ſum; ea vos perbreui; neque ſine tùm pietatis fructu, tùm animi voluptate facilè aſſequamini; eo ipſa ordine ſunt digeſta; ac perſtricta. Valete mundi lumina: & erroris tenebras (ſi veſtrum) à cultu diuino propellite. Datum Romæ.

De Paſchatis Chronologia quæſtiones XVII. Pauli Clarantis Interamnatis Nahartis.

1 *QVoto nàm anni menſe, & quoto nàm menſis die Paſcha inchoandum? Sanè primo anni menſe, & quartodecimo menſis primi die ad veſperam hoc eſt ſub plenilunium ſecundum Moſis inſtitutionem. nam Paſcha apud Hebræos certò; & ſi apud nos incertò, & menſe, & die colitur: propterea quòd menſes Solares; quibus quidem nos vtimur; non reſpondent menſibus Lunaribus, ſinguli ſingulis; quibus quidem illi vtuntur: ſunt enim vtique inter ſe diſpares: adeò; vt ſacra; quæ apud nos ſtant; apud Hebræos errent; & è diuerſo: quanquam alij alia de cauſa apud nos eadem errare piè putant. Praterea incerto apud nos die Paſcha ob id colitur: quòd ipſi inchoando diem reſurrectionis domi-*

nicam; quæ à quartadecima Luna Paſchali alia aliter diſtat, antiqui, ſanctiq; patres perpetuam addixerint.

2 *A quo nàm menſe annus Paſchalis apud Hebræos ducitur? Prorſus ab eo; quem ipſi appellant Abib, hoc eſt germinantem, ſeu frugiferentem: nam hunc menſium primum conſtituit Moſes Paſchatis inſtitutor. Menſem autem germinantem, ſeu frugiferentem æquinoctio verno; quod quidem aperit ſata; proximè adhærere conſtat; præſertim in Aegypto; vbi primum Paſcha inſtitutum. Sed quoniam Paſcha (vt ſupra dixi) quartodecimo menſis primi die, hoc eſt ſub plenilunium incboandum; illud neceſſariò ſequitur, ſcilicet plenilunium Paſchale, nullum ante æquinoctium vernum; vernum quidem apud nos (ſic enim vbique intelligendum) non autem apud Antipodas: quibus vernum aliud, ideſt oppoſitum eſt: ne Paſcha alio apud alios celebretur; quàm quo præcipitur menſe* אָבִיב *& ſi is non eandem apud omnes naturam retineat. Sed hoc melius conſiderandum, interpretandumq; Theologis relinquimus.*

3 *Quare Paſcha ſuo, nec menſe; nec menſis die non rarò celebratur? Quia & interlunium primum; cui Paſcha myſticum inhæret; & æquinoctium vernum, cui interlunium primum innititur; in ſolari anno Iuliano, nobis ſolemni; ſe ſe præuertit: idq; eò fit: quòd tùm Penteteris, vulgò Biſextus, annus quidem magnus ad curſus Solares coæquandos à Iulio Cæſare excogitatus; tùm Decænneateris, vulgò aureus numerus, annus quidem magnus ad curſus Lunæ, Solis curſibus adæquandos à ſapientibus inuentus; vtraque iuſto maior re ipſa ſentitur.*

4 *Ad quot nam dies æquinoctium vernum? inter annos Iulianos quidem. MDCXXII. Chriſtianos autem MDLXXVII. (nam quinque, & quadraginta poſt, annis Iulianis propè expletis, Chriſtum dominum natum alibi demonſtratur) ſeſe loco præuertit? Vtique ad dies ſexdecim: nam quod Iulius Cæſar ſub ſeptimo calend. April. (vt eius faſti ab Ouidio, quaſi coæuo, decantati, & ab Aſtrologis omnis ætatis celebrati certò teſtantur) olim ſtatuerat; id nunc ſub ſexto Idus Mart. vulgus Mathematicorum ſtatuit; vterque vtrunque anno (vt res poſtulat) intercalari: adeò vt æquinoctium vernum in centenos annos ad diem ſe ſe locò præuerterit. id quod & Albategnius inter veteres Mathematicos nobiliſsimus ſubſenſit; qui quidem centenis annis adiecit ſex; & Pius Poeta Hetruſcus iam ad ſua vſque tempora perſenſit: qui quidem annum Iulianum centeſima diei parte redundare, quodam poemate teſtatum reliquit: præterquam quòd idem ipſum æquinoctij receſſus alij aliis ætatibus per nobiliores Mathematicos ſeruati; qui ſibi mutuo pro ſeculorum numero, & interuallo reſpondent; certiſſimè arguunt tametſi tabulæ; quas vſus diuturnus fallaces plus, minus prodidit; aliæ aliter: res enim ipſa non tabulis, quarum ratio incertior; ſed æquinoctij potiſſimùm receſsibus, quorum ratio certior; demonſtranda eſt: præſertim cùm res Cæleſtes, vel Mathematicorũ ex ipſorum ſententia certius (vt Dialectici loquuntur) à poſteriori, quàm à priori demonſtrentur.*

5 *Vtrùm æquinoctium vernum ſtatuendum ne ad VI. idus Mart. vbi hodie*

confici

conſici anno quidem intercalari videtur: an alio reuocandum; & quo? Nempè aliò reuocandum, ad tollendam præter cætera incommoda; etiam anni deformitatẽ: reuocauerim autem ad pridie calndas; vel (ſi id fieri poſſit) ad calend. ipſas April. ſic enim annus quam formatiſſimus euaſurus: dum ſigna ſuum quodque menſem, velut domicilium à prima propemodùm parte obtinuerint. Cur non potius ad XI. calend. April. vbi tempeſtate Nicænæ Synodi? aut ad VIII. Calend. eaſdem, vbi viuente in terris IESV domino conſici anno quidem intercalari videbatur? Quia tùm annus adhuc informior maneret; tùm ex eo commodi nihil ad Eccleſiam accederet id eſt non fieret; quòd & interlunia ipſa loco iam diu præuerſa; & littera Dominicali variante poſt hac intercalatione veteribus faſtis reſponderint. Quid? quòd eadem, quæ prius incommoda permanſerint; dum (vt interim cætera ſileam) Matthiæ vigilia in diem pridie cinerum genialem; & Virg. Annuntiatio in extremam Quadrageſimæ hebdomadam alioqui lugubrem non fermè rarius incideret. Reuocauerim igitur, æquinoctium ipſum vernum ad pridie calendas April. ſedem quidem aliis ſedibus longè commodiorem. nam ridiculum eſt dicere (vt quidam opinantur) eam ieiunantibus incommodam futuram: cùm æquinoctium vernum dies longiores; ſi ad pridie calend. April. quam ſi ad VI. idus Mart. ſtatuatur; non fecerit. At dies ex reuocatione ipſa redundantes eodem omnes tempore deduxerim certo è mẽſe: ne ſi diuerſis ſingulos temporibus deduxerim æquinoctij errorem; dum veterem tollerem: interea nouum imprudens contraherem. id quod minime norunt, qui eoſdem continuata biſexti intercalatione abſumendos cenſent: nam hunc modum, vt iniquum ſuis ſcriptis ipſi excludere prorſus debuerant. Cæterum incommoda quot, & quæcunque ipſa certorum dierum deductio importarit; publica de indennitate lex vbique promulgata pænitus exportarit, ea quidem à certo, & anno, & menſe, & die reſcripta. repetenda.

6 *Quà nàm modo æquinoctium vernum iam reuocatum loco retinendum? Prorſum biſexti; aut quinti, & vigeſimi cuiuſque intermiſſione; ita diem; quo centeni anni Iuliani propè redundant; extinctum iri; aut (quod quidem magis probatur) ſexti cuiuſque in alterum à ſolita annum Iobeleo inſignem reiectione; ita horas ſex; quibus quini, & vigeni anni Iuliani ferè redundant abſumptum iri: neque enim ante hoc tempus æquinoctium recedendo errans ad priſtinum locum reuocandi occaſio vlla dari videtur. In hanc intercalationem nos de more maiorum periodũ hoc eſt cyclũ parauimus litterarũ Dominic. ex annis CLXXV. cõſtructũ. id quod certi quidam anni ſolaris reſtitutores non aſſequentes, litteras Dominic. pro tempore vltrò, citroq; traducunt: ſed Sacerdotum vulgus perpetua id eſt cyclum nunquam, nuſquamque variantem à ſapientibus expoſcit. Nonnulli parant quidem cyclum litterarum Dominic. ſed in intercalationem longè aliam, quàm motus ſolaris ratio exigit; ipſi quidem tabularum fallaciæ plus, quàm vſuũ veracitati (mirum) tribuentes.*

7 *Ad quot nàm dies interlunium primum; inter cyclos decemnouenales LXXXV. hoc eſt annos Iulianos quidem MDCXV. Chriſtianos autem*

*M D L X X. ſeſe loco præuertit? ſcilicet ad dies ſex; nam quod Iulius Cæſar ca
lendis Ianuar. (vt ex eius faſtis etiam nunc extantibus colligere eſt) ſta-
tuerat; idipſum anno ſal. MDLXX. ad diem ante quintum calend. eaſdem con-
fectum ſenſimus: adeò; vt interlunium primum ad diem ſextodecimo quoque cy-
clo decemnouenali ſeſe loco præuerterit. id quod Hipparchus nunquam ſatis lau-
datus præſenſiſſe legitur. At idem per idem tempus; vt in anno ciuili ad dies
ſex loco ſe ſe anteuertit; ita in anno naturali ad dies vndecim, quod æquinoctium
vernū eo plures præuerſum ſupra diximus; ideſt epactas anni unius loco ſe ſe poſt
uertit. Quod autem ratio ſuadet; id res ipſa perſuadet. nam quod calendis Ianuar.
interlunium primum, anno primo, cycli primi ſub ſextam Capricorni confectum
fuerat; bruma circiter VII. calendas Ianuar. obtinente, id ipſum anno primo cy-
cli ordine LXXXVI. hoc eſt anno ſal. MDLXX. ſub ſextam decimam, eiuſ-
dem; initiū anni, & cycli modò notatorū confectū ſenſimus: adeo, vt interluniū pri
mū ad diem octauo quoque cyclo decemnouenali ſe ſe loco poſtuerterit: quemadmo
dum & nos noſtris in tabulis pleniluniorum paſc. notauimus.*

8 *A quò nàm anni tempore cyclus decemnouenalis, idemq́; Paſchalis exordien-
dus? Is quidem ab æquinoctio verno; cui menſem cognomento Abib menſiū primū
proxime adhærere ſupra diximus: præterquam quòd faciunt: qui ab alio anni
tempore id ipſum non ſine magna confuſione exordiuntur; & quàm proximè da-
tur: datum autem quam proximè fuit anno ſal. M D L X X V. quo quidem an-
no Lunam cum Sole congreſſam ſub primam Arietis ſenſimus, vt deſideratiſſi-
mā pariter, & optatiſſimam ſedem; eamq́; ad eum ipſum annum Iobeleo nobilem di
uinitus præſtitutam. Nam cyclum decemnouenalem, & quidem Paſchalem op-
time condere in Dei manu eſt ſyderum conditoris. memoria igitur retinendus an-
nus is quibuſcunque eiuſmodi cyclum condentibus: etenim annus ſecundus, &
octogeſimus ſupra M. D. quem quidam ſeruant; commoda nobis talia, tantaq́;
contemplantibus non promittit. Sed (vt audio) id eo conſilio fecerunt; ſcilicet,
vt ipſi temporis ſpatium ſatis longum haberent ad ſua de paſchatis ratione dogma
ta per orbem terræ totum vulganda ante deſtinatam vſuram: quam de his certiſ-
ſimam ſibi promittere videntur. Quid? Si id ob locorum, temporum, hominumq́;
iniquitatem illi opinione ſerius conſequantur? nùm propterea peſſum dogmata*
quoto *ibunt? negarint. ergo non à ~~quarto~~, verùm à quali anno cyclus Paſchalis primor-
dium capiat; etiam atque etiam ſpectandum.*

9 *Quò nàm modo interlunium primum; à quo quidem incipit cyclus decemno-
uenalis, loco retinendum? Siquidem quintus, & octogeſimus quiſque cyclus de-
cemnouenalis anno ordinario augeatur: ſic; vt annum is bis decimumnonum obti-
neat; alterum ex lege intercalarem; alterum ordinarium: ita dies propè vnde-
cim; quibus quini, & octogeni cycli decemnouenales redundant, hoc eſt Epactas an
ni vnius abſumptum iri: neque enim ante hoc tempus interlunium primum præce-
dendo errans ad priſtinum Lunæ, ſimul & Solis locum reuocandi occaſio vlla dari
videtur. In hanc intercalationem nos de more maiorum cyclum parauimus ple-
niluniorum*

*niluniorum Paſchal. ex cyclis L X X V. conſtructum id quod certi quidam cycli
decemnouenalis, hoc eſt anni Lunaris, pariter & Solaris reſtitutores non aſſe-
quentes, interlunia pro tempore vltrò, citroq́; traducunt: Sed Sacerdotum vul-
gus perpetua; ideſt cyclum nunquam, nuſquamq́; variantem à ſapientibus expo-
ſtulat. Quid? quod Lunæ curſus adæquant, non quidem Solis curſibus; quemad-
modum ratio cycli decemnouenalis; quo nos vtimur; exigit: ſed curſibus Lunæ:
quemadmodũ ratio cycli ex tricenis annis conſtructi, quo Arabes vtuntur; poſtu-
lat. nam interlunium primum ad annum quidem ciuilem; in quo ille ſe ſe anteuertit
ipſi reſtituunt; nõ autem ad annum naturalẽ in quo idem ſe ſe poſtuertit. Quidã ſe
exiſtimant parare cyclũ; cyclũ autem decemnouenalẽm; & quidem, Epactarũ: dùm
Epactas ipſas per mẽſes Solares quodã inuſitato modo digerũt: ſed alia omnia para
re mihi videntur. nã primũ cyclus (vt nomen ipſum admonet) conſtat ex ijs; quæ in
ſe ſe redeunt certo temporis interuallo nunquam, nuſquamq́ue variantia: quæ om-
nes hic conditiones deſyderantur: deinde decemnouenalis ex deniſnouenis; vnde
denominatur; annis conſtituitur; videlicet duodenis ordinarijs; ſeptenis extraordi-
narijs: quos ipſos à menſe intercalari intercalares antiqui dixere; hi ex terdenis, illi
ex duodenis Lunæ curſibus conſtituuntur: Habet enim cyclus decemnouenalis
Lunæ curſu numero C C X X X V. eoſque numeris 30. & 29. alternatos; om-
nes quidem; præter intercalares videlicet continuos ſex, qui dierum ſinguli trice-
norum ſunt: quæ omnes conditiones & hic deſyderantur: poſtremò cycli decemno-
uenalis, & quidem Epactalis proprium eſt: vt annus ordine non octauus; ſed no-
nus in eo intercalaris ſit: hic ante non tantũ nonus; verũ cæteri omnes intercalares
deſyderantur: adeò; vt cyclus is cycli Epactalis nomen; præterea nihil retineat.
Adde: quòd Epactæ; quas per menſes Solares digerentes numeris 30. & 29.
ſine exceptione alternant; falſæ ſunt. nam bini Lunæ curſus dies L I X.
exuperant. Iccirco veteres ſapientes cyclum decemnouenalem ordientes, inter
Lunæ curſus C C X X X V. tantùm ſex; quos intercalares dixere; non alternãt:
conſtituunt enim ipſos ex diebus tricenis ſingulos. Sed hæc, quanquam grauiſſi-
ma; tamen condonarim: niſi plura, & fortaſſe grauiora peccare mihi viderен-
tur: vtinam potius viderentur; quam peccarent: non enim perſonas, vel ſtudij
ſimilitudine coniunctas; verùm opiniones: & quidem communis rei cauſa inſe-
ctor. nam primùm promittunt (vtar ipſorum verbis) æquationem anni Solaris:
interea annum Alphonſinum vſu reprobatum vſurpant; intercalationem quidem
quarto quoque centinario retinentes, in reliquis verò centenarijs intermittentes;
ſic; vt quarto & trigeſimo ſupra centeſimũ diem ſecundũ Alphonſum propè redũ
dantem extinguant. Sed eſto annum Alphonſinum omnium eſſe æquiſſimum: at-
tamen intercalandi modo; quem iſti proponunt; redditur ille iniquior. nam inter-
calationem ipſi intermittunt, iuſto prius; centenario quidem in primo, annos
X X X I V. in ſecundo, annos L X V I I I. in tertio, annos C I I. adeò; vt
ante annum quadringenteſimum non ferè æquinoctium vernum conſiſtat. Pro-
mittunt deinde æquationem cycli decemnouenalis; hoc eſt anni Lunaris, ſimul &*

Solaris:

Solaris: interea Hipparchi annum, in quo Lunæ curſus curſibus non Solis, ſed Lunæ tantum æquantur, ipſi recipere videntur. nam ſextodecimo quoque cyclo decemnouenali, id eſt trecenteſimo quarto quoque anno diem ſecundum Hipparchum redundantem vna, atque altera æquatione abolent. id quod profectò eſt interlunium primum reſtituere ad annum quidem ciuilem; in quo illud ſe ſe anteuertit: non autem ad annum naturalem; in quo idem ſe ſe poſtuertit. argumento eſt: quòd æquinoctium vernum longius, quam interlunium primum loco receſſiſſe ſentitur. Prioris, hoc eſt interlunij primi receſſus in cauſa eſt: quòd Paſcha a Luna xxi. quandoque celebratur; contra præceptum quidem patrum, non autem diuinum (vt putant) in primis: niſi patrum præcepta etiam diuina dicenda. nam præceptum diuinum celebrationis Paſchalis numerum continet dierum, ſiue Lunarum: quibus illa perdurare quidem; non autem inchoari præcipuè debeat: poſterioris ideſt æquinoctij verni receſſus in cauſa eſt: quòd Paſcha ſecundo menſe interdū celebratur, contra præceptum quidem diuinum, non autem patrum: qui æquinoctium vernum ad xi. calend. April. ſtatum nobis reliquerunt. Has erroris differentias agnouiſſe oportuit iſtos cycli decemnouenalis, hoc eſt anni Lunaris, ſimul & Solaris æquatores. At (inquiunt) nobis ſatis eſt æquaſſe (ſi modo æquarunt) Lunæ curſus curſibus Lunæ. Quid ergo cyclum decemnouenalem; in quo vtriuſque luminis curſus pares inter ſe fiunt; introducunt? Sed video; quid agant: ſcilicet; vt poſt longum, & laborioſum ratiocinationis circuitum; ſi poſſint, & plenilunium, & dominicam Paſchæ ſimul cum feſtis mobil. ſingula more errantium eſſequantur. Porrò hæc omnia Sacerdotum vulgus non per ſe ſæpius numeranda, inuertendaq́; (id quod per iſtos fit) verùm enimuerò per Sapientes ſemel numerata, ac ſtatuta, qualia Cyclo veraci contenta; ab Eccleſia ille quaſi iure ſuo expoſcit. Promittunt præterea perpetuitates (vt interpretor) cyclos: ſed in toto libello ne vnum quidem cyclum reperire eſt; ſaltem permanentem: dum alias, atque alias intercalationes, velut fundamenta incerta ille admittit: niſi perpetuum intelligant proceſſum in infinitum; cuius quidem non eſt ſcientia. Conſtruunt enim tabulas, non cyclos; hi ex finitis & his in ſe redeuntibus; illæ ex infinitis ſuapte natura non in ſe redeuntibus conſtant. Sed hic excuſandi: nam condere quidem tabulas quorumcunque eſt: condere verò cyclos; non quorumcunque. Promittunt poſtremò Eccleſiæ dignitatem (vti exiſtimo) ſolennitatem: dum æquinoctiū vernum reuocant ad xij. calend. April. & ſi xi. erat ſcribendum: nam in xij. Paſcha vnquam incidiſſe nec vidi, nec audiui: diem autem æquinoctij verni, vel ipſi Paſchalem ponunt. Interea Eccesiæ nihil ſolenne præſtant id eſt non faciunt: quod (vt ſupra dixi) & interlunia ipſa loco iamdiu præuerſa, & littera Domin. variante poſt hac intercalatione Eccleſiaſticis faſtis reſpondeant. At (inquiunt) reſponderint noſtris ſcriptis: ſed id futurum contra dignitatem quidem; nō autem ex dignitate (vt volunt) Eccleſiæ: cui illa prorſus erunt noua: non ſolùm nouitate ipſa minus cognita. Sed paulò minus duo mihi exciderunt: vnum eſt: quod iſti gloriantur mirificam epactarum tabulam (vt appellant) expanſam ex tricenis

con-

conſtructam viciſſitudinibus: quas ad aliam, atque aliam intercalationem (vt volunt) aptant; epactas ipſas pro tempore augentes, minuentesve præter ſacerdotum vulgarium; quos perpetuò amare ſupra diximus; votum. At ſi res epactis agenda; & hic hi vincuntur. Nam noſter quoque libellus epactarum habet tabulam ex vndenis conſtructam viciſſitudinibus: quæ (ſi hoc magis expediret; quod negatur) ad aliam, atque aliā intercalationem aptari poſsint; hæ quidem illis præferendæ; non tàm quòd numero pauciores ſint; quā quòd ordine certiores: nā ipſæ iſtar cycli in ſe redeūt certo tēporis interuallo, id quod nequaquā fit in tabula illa Epactarum expanſa. Sed dum tabulā ad omnem intercalationē parare tentant; interim nullā intercalandi rationē; cui, velut fundamento, orationis ſtructura penè vniuerſa nititur; certā conſtituere videntur. itaque primū de intercalatione, deinde de tabula, vel potius cyclo (quemadmodum nos fecimus) erat meo quidē iudicio ſtatuendum: ita mirificis proxima; ſi tamen non mirifica; planè protuliſſent. Alterum eſt: quòd ipſi pollicentur feſtorum mobil. tabulam vulgatis omnibus certiorem. At debebant amici excipere noſtram: qua certior dari nulla poteſt (abſit verbo inuidia) ſiquidem Paſchatis dies; à quo reliqua fermè feſta mobil. pendent; certius à nobis cyclo, quàm ſine cyclo ab illis indicatur. Sed de meis mea ipſa velim loquantur. Rurſus ijdem mihi videntur (pace ipſorum dixerim) aliquando ſibi inconſtantes, hæſitantes, aduerſantes denique oſcitantes: inconſtantes in quam; dum & Alphonſi annum, vt medium recipiunt: poſtea verò alios aliorum, vt extremos non excludunt: decebat enim eos in eo qui ipſorum ſcriptis velut fundamentum firmiſsimum futurum erat; perſtitiſſe: & annorum quidem centenarios ſexdecim; inde à Iulio Cæſ. elapſos diebus 13. cum 12. debuiſſent; redundare; centenarios verò duodecim; inde à Nycæna ſynodo elapſos diebus 10. cum 9. debuiſſent itidem redundare dicunt: nam ſecundum Alphonſum; quem vnum ſequuntur; quadrigentos quoſque annos Iulianos diebus tribus redundare ipſi aſſerunt: Hæſitantes quidem; dum æquinoctium vernum vtrùm hodie ad VI. an ad V. idus Mart. annò intercalari (nam hunc anni ſolaris reſtitutores quoſque ponere oportet) conficiatur; dubium relinquunt. id quod conſtituiſſe, per magni refert: quandoquidem ſi ad VI. idus Mart. conficiatur (confici vt videtur) dies vndecim, non decem (vt volunt) in reuocando ad XII. calendas April. æquinoctium vernum extinguendi: Aduerſantes autem; dum annum vertentem partim æqualem, Alphonſum ſequentes; partim inæqualem, Copernicum introducentes ponunt: oportebat enim alterutrum elegiſſe, cyclos non tabulas contexentes. Sed & hic excuſandi: quandò tabulas, non cyclos contexere mihi videntur; hi ex certis, æqualibusq; illæ ex incertis, inæqualibusq; annis ferè conſtant: Oſcitantes denique dum multa vtilia; non pauca neceſſaria omittunt: argumento eſt: quòd pleræque hæ noſtræ quæſtiones in illorum ſcriptis desyderantur: plura autem promittere; facilius cuique; quàm præſtare eſt. Quid? quòd aut non demoſtrant; dum; quæ maximè demoſtranda erant; pro non dubijs ponunt; aut malè (ni fallor) demoſtrant: dum (vt reliqua prætermittam) & annum Alphonſinum ex eo præferunt:

ſerunt: quòd is inter extremos medius (vt autumant) eſt: quaſi veritas perinde, ac virtus in medio ſita ſit; & annum vertentem ob id inæqualem alij alijs ætatibus comprehenderint: quaſi verò non alij, atque alij eadem ætate eundem inæqualem conceperint. Id enim fieri poteſt ratione quidem non anni, vt ſapientes admonent, ſed artificius, ſed inſtrumenti, ſed ſitus, in primiſque diuturnitatis: quæ quò maior eò magis ſenſibiles motus differentiæ fiunt. Propterea Albategnius anni ſolaris magnitudinem maioribus ſuis certiorem percepiſſe creditur; quòd ille ſortitus fuit vſum plurium ſeculorum magiſtrum. Haberem & alia nonnulla: quibus homines accuſandi viderentur: ſed auctores libellus ipſe tanquam reos actor, vel me non agente conuicet apud ſapientes: quorum in manus ille peruenerit. Nunc ad quæſtiones, vnde veritatem in re tam communi perſequendi ſtudio digreſſus ſum; redeo.

10 *Vtrùm dies intercalaris in principio an multò poſt principium (vt nunc fit) anni ciuilis inſerendus? Equidem in principio cenſuerim: res vt nomini verius reſponderet. nam biſextus à Græcis penteteris dicitur: quòd quinto quoque anno, incipiente quidem redeat. Inſertus autem fuit multò poſt principium, hoc eſt à ſexto calend. Mart. vnde biſexti nomen manauit: propterea, quia intercalandi ſedes ea (opinor) eſſet apud maiores, quibus aliud anni principium fuerat.*

11 *Vtrùm menſis intercalaris in principio ne an in fine anni Paſchalis inſerendus? is quidem quandoque in principio, quandoque in fine, prout interlunium inſtans æquinoctio verno accedit; receditve ab eodem: nam ante æquinoctiū vernum plenilunium paſchale (vt ſupra dixi) nullum. Quòd modò monui; minimè ſeruatur ab ijs: qui menſem intercalarem perpetuò aut in principio, aut in fine, aliove certo loco inſerunt: cùm cyclum Paſchal. menſibus ſiue lunaribus, ſiue ſolaribus intexunt.*

12 *Vtra intercalatio melior, illa nè qua dies, an qua diei partes tolluntur? rurſus illa nè mēſis, an qua menſis partes? Proculdubio; qua partes; & hæ quàm minimæ, ſiue diei, ſiue mēſis: etenim quò minus errāt lumina eò anni, mēſesq; æquiores ſeruātur. Quapropter in æquinoctio verno retinendo illa intercalatio; qua horæ ſex quinto, & vigeſimo quoque anno tolluntur; biſexti ſexti cuiuſq; in alterū à ſolito annum reiectione præferenda intercalationi: qua dies centeſimo quoque anno tollitur, biſexti quinti, & vigeſimi cuiuſque intermiſſione. Itidem in interlunio primo retinendo, illa intercalatio; qua dies vndecim id eſt epactas anni vnius quinto, & octogeſimo quoque cyclo decemnouenali tollimus, augentes anno ordinario vltimum cyclum; anteponenda intercalationi: qua dies XXIX. (vt alibi oſtenditur) ſecundo, & trigeſimo quoque cyclo decemnouenali ſupra CC. tollimus, reddentes vltimi cycli annum ex intercalari ordinarium. Quod modò præcepi, nequaquam, ſeruatur ab ijs qui intercalandis totis quidem, non autem totorum partibus ſtudent.*

13 *Vtrùm dominica ante lunam rediens XVII. qua quidem Ieſus dominus reſurexit; Paſchalis habenda? cùm Paſcha non mortis modò, verùm etiam reſurrectio-*